



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri Francisci Chiffletii, Vesontionensis, Societatis Jesu
Presbyteri, Opuscula Quatuor.**

Chiflet, Pierre François

Parisiis, 1679

Text

urn:nbn:de:hbz:466:1-9409



OPUSCULUM I.
 D. E
 SANCTI DIONYSII
 ÆTATE,
 TOTAQUE CHRONOLOGIA:

*Quo & suus Parisiensibus confirmatur
 Areopagita, & huic libri sui
 vindicantur.*



O ferè tantùm specta-
 vit Dissertatio de uno
 Dionysio, tribus abhinc
 annis à me in publi-
 cum emissa, ut suum
 Parisiensibus Areopagi-
 tam adsererem: quod & confecisse me

A ij

4 *De S. Dionysii etate.*

reor , tum S. Methodii Patriarchæ Constantinopolitani , tum Hincmari Archiepiscopi Remensis , tum Anastasii Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii , priscorum & magnorum virorum , testimoniis ; tum etiam Orientalium omnium , & Occidentalium Ecclesiarum usu & consensu , quæ jam à novem propè sæculis , in sacris Lectionibus divinisque Officiis seriò id profitentur. Quod & confirmant Crotonienses Calabriae populi , quorum est post omnem memoriam accepta à majoribus traditio , sanctum Dionysium Areopagitam , cùm Athenis Romam pergeret , (unde à Clemente Papa in Gallias destinatus est) à Crotoniensibus ex itinere exceptum , ipsorum fundasse Ecclesiam , primùmque censei Episcopum. Unde & illi pro vexillo Ecclesiæ suæ , imaginem præferunt ipsius Areopagitæ , ut testatur Ferdinandus Ughellus tomo IX. & postremo Italiæ suæ sacra. Quorum omnium auctoritati, Launoii

OPUSCULUM I. 5

quàmlibet multarum litterarum viri, apud æquos rerum æstimatores nunquam præponderabit iudicium: ne si quidem ille clypeum objiciat Sirmon-di & Petavii illustrium virorum cal-culos.

Nam priorem illum (Sirmondum dico) hoc ad hominem argumento il-li excutio è manibus. Is in Dissertatio-ne de duobus Dionysiis, Hincmari Remensis de uno Dionysio testimo-nium ea ratione elevare conatus est, quòd in Vita S. Remigii Clodoveum Regem in pervigilio Paschæ baptiza-tum scripserit, quem in Natali Domi-ni Avitus Viennensis illorum tempo-rum inspector sacris undis ablutum re-ferat. Unde conclusit Sirmondus, er-rare potuisse Hincmarum in Parisiensi Areopagita, sicut in die Clodovei Ba-ptismo initiati errasse convincitur. Præ-clarè hæc quidem ad ostentationem, sed parum solidè ad quæstionem pro-positam. Certum est enim, priscis illis

6 *De S. Dionysii aetate.*

saeculis, vetita fuisse baptismata, etiam privata, extra dies Pervigiliorum Paschae & Pentecostes, nisi urgente salutis periculo. Id patet ex Epistola Siricii Papae ad Himerium Tarraconensem Episcopum, ex Epistola decretali quarta S. Leonis Papae ad Episcopos Siciliae, ex Gregorio Turonensi lib. v. Historiae cap. xi. & ex Conciliis aliquot Gallicanis. Quot magis prohibita fuerunt sollemnia, qualia memorantur à Gregorio Turonensi, lib. 2. cap. 31. trium amplius millium de exercitu Clodovei? Si hi baptizati sunt ipso proprio die Christi natali, Decembris mensis xxv. ecquis Remigium hujus auctorem facinoris, à sacrorum Canonum transgressione immunem praestet?

Succurrit aliud quod hinc reponam. Quid si Avitus ipse natalem Domini appellavit diem resurrectionis? Fecisse potuit ad gustum Hilarii Pictaven-
sis, Ambrosii, Chrysofomi, immò &

OPUSCULUM I. 7

Pauli Apostoli, Actorum cap. 13. versu 3. illa Davidis verba, Psalmi 2. v. 7. *Filius meus es tu : ego hodie genui te ;* de Christi resurrectione explicantium, quòd sit quædam Christi nativitas, ejus resurrectio. Si fecit Avitus, quid erit unde Hincmarus redarguatur?

Sed erraverit Hincmarus in die ipso baptizati Clodovei, etiam hoc ultrò concessò, quæ consequentia est ut in Parisiensi quoque Areopagita errasse dicatur? Pari certè jure sic ratiocinetur quilibet Areopagitæ Parisiensis propugnator: Erravit Sirmondus in epochâ Concilii Rotomagensis præside Ansberto celebrati anno Christi 689. quod ille anno 682. assignavit, totius septennii prochronismo. Erravit similiter Petavius in anno obitûs Roberti Regis, quem ille sive Helgaudi lapsu, sive cujusdam solaris eclipsis indiligenti observatione delusus, in annum Christi 1033. rejecit, quem biennio citiùs, nempe anno 1031. evenisse constat om-

8 De S. Dionysii etate.

nium illius ævi Scriptorum unanimi consensu. Has Sirmondi & Petavii *παρέμβασες* à pluribus jam annis observaveram, & eorum redargutiones privatis meis commentariis illigaveram, cum incidi non ita pridem in Philippi Labbei horum Patrum magni observatoris æram Christianam, in qua eodem reperi cum præfatione honoris egregiè confutatos.

Per te liceat mihi (Lector benevole) Sirmondi duorum Dionysiorum præcipui assertoris sententiam, ictu repetito, Parisiensis Arcopagitæ sacris altaribus immolare. Incruenta erit victoria, certamen enim ingeniorum est. Edidit Sirmondus anno sæculi hujus 1619. Idatii Fastos Consulares. Ad Gratiani Nobilissimi & Dagalaifi Consulatam, qui anno respondet æræ Dionysianæ 366. hæc refert ex antiquo nostro codice: *His Consulibus natus est Valentinianus Junior, filius Augusti Valentiniani, die xv. Kal. Febr. & ipso*

OPUSCULUM I. 9

anno idem hostis publicus, & prado
 (Procopium intelligit) intra Phry-
 giam Salutarem, & in Nacoliensium
 campis ab Augusto Valente oppressus at-
 que extinctus est die VI. Kal. Junias.
 Ipso anno Augustus Valentinianus gen-
 tem Alamannicam pervicit. Hæc cum
 legisset Henricus Valesius vir appri-
 me doctus, in Notis ad Ammiani
 Marcellini librum xxx. ad hæc ver-
 ba: *Valentinianus puer, defuncti filius,*
cum quadrimus vocaretur ad Imperium
coaptandus; sic admonet: Atqui Valen-
tinianus Junior natus erat Gratiano
Nobilissimo & Dagalaipho Coss. an-
no Natalis Domini 366. die xv. Cal.
Februarii, ut scribit Idatius in Fastis,
& auctor Alexandrini Chronici iisdem
planè verbis, quibus Idatius. Quibus
suffragatur Themistius in Orat. xi. ad
Valentinianum Juniorem, p. 254. ubi
natalem ipsius, vice oraculorum &
vaticiniorum prædixisse ait Tyranni
Procopii exitum. Constat autem Pro-

io *De S. Dionysii etate.*

» copium eo anno quem dixi, à Valen-
» te victum & necatum fuisse. Accedit
» prætereà Socrates in libro 4. Sozome-
» nus in 6. qui Valentinianum Junio-
» rem eo anno in lucem editum esse te-
» stantur. Quod si ita est, quo modo idem
» quadrimus ad Imperium venisse di-
» catur non video. Creatus enim est Au-
» gustus P. C. Gratiani tertium & Æ-
» quitii, anno Domini 375. Huic diffi-
» cultati, quam ego primus & jamdu-
» dum deprehenderam, aliisque solven-
» dam proposueram, ita occurrendum pu-
» to, ut Valentinianum qui anno 366.
» natus est, diversum esse dicamus ab
» eo qui postea Augustus fuit: quod
» quidem his argumentis evincam. Pri-
» mò enim Valentinianus, qui mortuo
» patre Augustus est renunciatus, qua-
» drimus tunc erat, ut scribit præter
» Marcellinum nostrum Victor in Epi-
» tome, & Zonaras: Zosimus certè vix
» quinquennem fuisse dicit. Deinde vi-
» ginti annos natus obiisse dicitur à Ni-

OPUSCULUM I. II

cephorò in lib. xii. cap. 38. Interfe-
 ctus porrò est, ut inter omnes constat,
 anno Domini 392. Hieronymus in epi-
 stola de exiru Nepotiani, eundem
 Valentinianum adolescentem adhuc,
 & penè puerum esse occisum memorat.
 Quæ certè omnia non procederent, si
 anno 366. natus fuisset. Denique Va-
 lentinianus Junior, is qui anno 366.
 in lucem est editus, Consulatum gessit
 cum Victore, anno Domini 369. ut
 testatur apertè Themistius in Orat.
 xi. quam ei Consulatum Constanti-
 nopoliauspicienti Cal. Jan. dixit. Quòd
 si hic idem esset cum eo qui post mor-
 tem Valentiniani Augustus est nuncu-
 patus, cùm is paulò postquàm Impe-
 rator est factus, Consulatum inierit
 cum Valente, Consul iterum necessa-
 riò dici debuisset. At in Fastis omni-
 bus annus ille 376. sic notatur: Valen-
 te Aug. V. & Valentiniano Juniore
 Aug. Quæ cùm ita sint, apparet
 duos ejusdem nominis Valentinianos

12 De S. Dionysii ætate.

Valentiniani magni filios distingui debere.

Hæc Henricus Valesius anno 1636. cum Ammianum à se illustratum in lucem daret. Cautius etiam Petavius cum octodecim antè annis, nempe anno 1618. Themistii aliquot Orationes sub prælo haberet, ad illa verba, *Εἰτε οὐδὲν ἐνεῖνον ἐννοήσῃς*, hæc adnotat: *Difficilis ac, penè dicam, inextricabilis hic locus. Quid enim? Valentinianus ille Junior, de quo hic est sermo, nonne Valentiniani filius est? Quæ igitur ratio patitur, post Valentiniani mentionem, ἢ ὅντος πατρὸς discerni ac nominari Valentem? Exinde propositis per conjecturam aliquot solutionibus, ita demum concludit: Verùm conjecturæ istiusmodi mihi non satisfaciunt. Ampliandum itaque de ea quæstione censeo.*

Unde, quæso, in isto eruditorum quasi Areopago tot strepitus, tot tumultus? Pace dixerim Sirmondi. Unus ejus error, una hallucinatio has tem-

pestates concitavit. Habeo præ oculis illum ipsum codicem, è quo Idatii Fastos Consulares Sirmondus descripsit. In eo codice lego ad Consulatum Graciani & Dagalaiphi, qui est æræ vulgaris 366. *His Consulibus natus est Valentinianus Junior, filius Augusti Valentis, die xv. Kal. Febr.* Emendavit Sirmondus, & pro filio Augusti Valentis, scripsit *filius Augusti Valentiniani*. Nefas putarunt Petavius & Valesius Sirmondi fidem vocare in dubium: & ego quoque nefas putarem, nisi Valentinianum pro Valente perperam à Sirmondo positum oculis meis cernerem. Absit tamen à me ut malæ fidei Sirmondum insimulem. Credidit Sirmondus erratum esse à librario antiquo, qui Idacii Fastos jam olim descripserat: ipse à vero & ab Idacii ipsamet mente toto cælo aberravit, locumque Idacii emendare dum voluit, corripit. Restituatur hic locus ad fidem antiqui codicis, & salva sunt om-

14 *De S. Dionysii etate.*

nia. Pax est Idatio cum Ammiano, pax utrique cum Themistio. Duo fuere Valentiniani re & cognomento Juniores; alter Valentis filius, alter filius Valentiniani Senioris. Prior ille natus est anno Christi 366. Gratiano & Dagalaipho Consulibus, xv. Kalendas Februarii, Consul creatus est vix trimulus puer, Victore collega anno Christi 369. Idem (ut opinor) mortuus est anno 370. in pœnam patris Valentis Arrianorum veneno infecti, dum Basilium & Orthodoxos alios nequiter persequeretur. Gallus etiam, seu Galathes nuncupatus apud Socratem, Sozomenum, Nicephorum Callistum: neque enim duos Valentis filios usquam legimus. Porrò Valentinianus Junior, Valentiniani Senioris filius, imperare cœpit post patrem ex anno 375. cùm ei parens Valentinianus xv. Kalendas Decembris decessisset, ipse tantùm quadrimus, ut Ammianus, Zosimus, Socrates, aliique

OPUSCULUM I. 15

tradidere. Natus ergo erat Valentinianus junior, Valentiniani Senioris filius, anno Christi 371. jam acerba morte sublato ejus patrucele Valentiniano Gallo, Valentis improbi parentis infelice filio.

Hinc lux affulget Themistio in Oratione xi, quâ Valentinianum Valentis filium Kalendis Januariis salutavit anno, ut dixi, æræ Christianæ 369. Ibi commemorat Themistius Valentiniani pueri Consulis patres duos; Valentem naturâ patrem verèque genitorem; Valentinianum Seniore, ejus patruum & adoptione patrem: cujus adoptionis nota patruum nomen puero inditum. Quam ergo *Quadrigam Regum* dixit Themistius, pronum est interpretari *paria duo equalium fermè utrimque & ætate & tempore Principum, æqualiter gradientium, æqualiter spirantium*. Hinc Valentinianum Seniore & Valentem Augustos fratres, inde porrò Valentinianum Juniore Valen-

16 *De S. Dionysii ætate.*

ris filium, & Gratianum Valentiniani Senioris filium, patruelem Valentiniani Junioris, illi ætate paulò superiorem.

Redeo ad Sirmondum. Aggressus ille Hincmarum Remensem Parisiensis Arcopagitæ assertorem nominatissimum, objecit reverendissimo viro, quòd qui in die Baptismo initiati Clodovei lapsus fuerat, in Gallorum quoque Dionysio Arcopagita minimè audiendus videretur. Hanc ego ipsam machinam in Sirmondum retorqueo. Erravit Sirmondus in Valentiniano Juniore, Valentis filio, atque tam infausto errore, ut illo uno Idatii locum emendare dum studuit, corruerit, ut Chronologorum in Romana Historia calculos confuderit, ut Romanorum Principum Imperia, & Consulium Fastos turbaverit. Non mirum igitur quòd in Dionysio Arcopagita Parisiorum civitati, immò totis Galliis nostris eripiendo erraverit; vir alioqui
cum

OPUSCULUM I: 17

cum doctissimis comparandus, nisi paradoxa quædam sparsisset in vulgus, quibus veterum Ecclesiarum traditiones mirum quantum labefactatæ sunt, haud absque multorum offensione, nullo Christianæ pietatis fructu.

Nimirum errare humanum est. Etiam summi quique viri illud Sapientis de se profiteri habent: Humani à me nihil alienum puto. Nemo igitur Sirmundo, paucisque aliis sensus ejusdem, quàmlibet doctis viris, ducibus gloriatur: quibus nos Methodium, Michaëlem Syngelum Hierosolymitanum, Anastasium Bibliothecarium, Hincmarum Remensem, & aliorum è Græciâ, Galliâ, Italiâ, totoque orbe Christiano proborum ac sapientum non cohortem aliquam, sed innumerabiles (ut ità dicam) exercitus opponimus.

Tamen in hanc tam indubitatam veritatem, nebularum nescio quid objici posse video vel ab ipsius Dionysii æta-

te totaque chronologiâ, vel à libris ejus nomine vulgatis. Id nimirum quicquid est, hoc Opusculo discutiendum aggredior, ne quid Galliis nostris, ac præsertim Parisiensibus ad asserendam sibi tam illustris Patroni tutelam & patrocinium deesse quisquam putet.

De sancti Dionysii ætate Michaëlem Presbyterum & Syngelum Jerosolymitanum præ cæteris consuli velim. Hunc virum ut probè noris, audiendus est Theodorus Studita in epistolâ ad eum datâ, quæ est libri secundi ducentesima decimatertia, habeturque Latinè ex versione Jacobi Sirmondi, apud Baronium tomo IX. Annalium, ad annum Christi 835. quamvis data (ut ipse monet) adhuc vivente Nicephoro Patriarchâ CP. qui ordinatus anno Christi 806. die Paschæ, actus est in exilium anno 815. 13. Martii; obiit autem secundâ die mensis Junii anni 828. Sed & datam constat ante diem XI. Novembris anni 816.

OPUSCULUM I. 19
quæ Theodoro Studitæ fuit supre-
ma.

Michaëli Syncello Hagiopoleos

THEODORUS STUDITA.

SCRIBO nunc ad Reverentiam
tuam, quando mihi Dei nutu ob-
tigit, ut epistolæ ministrum nancisce-
rer: alioquin ex ipsâ custodiâ nostrâ
idipsum facturus eram; nec semel mo-
dò, sed bis etiam, ac sæpiùs fortasse.
Neque enim quia extranei vos estis,
idcirco nos vestri specie dissimiles: sed
quia ex unâ adoptionis matre geniti,
& eodem sinceræ fidei caractere for-
mati, & fratres, & concives, caput
habentes Christum, cujus cum corpus
simus, & membrum de membro, con-
gaudere inter nos debemus in prospe-
ris, angique pariter in adversis. Verùm
quomodò vos, cum aliò profecti esse-
tis, impulit temporum violentia, ut in-
corum qui rerum hîc potiuntur, retia

B ij

20 De S. Dionysii aetate.

» incideritis ? Quid autem ad hoc dice-
» mus aliud quàm quod Scriptura sancta
4. Reg. 13 » dicit : Et certamen duxit Jehu. Sed il-
» lic quidem ad regnum Israël, hîc ve-
» rò ad testimonium veritatis ; ut nunc
Mich. 4. » etiam impleatur quod scriptum est : De
2. » Sion exhibit lex, & verbum Domini de
» Hierusalem.

» Age mens beatissima, sta fortiter,
» monemus : glorifica Deum in corpore
» tuo, & in spiritu. Dic & ipse cum di-
Philip. 1. » vino Apostolo : Scio quòd hoc mihi
19. » proveniet ad salutem, per vestram ora-
» tionem & subministrationem Spiritus
» JESU-CHRISTI, secundùm expecta-
» tionem & spem meam ; quia in nullo
» confundar ; sed in omni fiduciâ, sicut
» semper & nunc magnificabitur Chri-
» stus in corpore meo, sive per vitam,
» sive per mortem. Mihi enim vivere
» Christus est, & mori lucrum. En dul-
» ce certamen ! En felicem commutatio-
» nem ! per breves tribulationes & an-
» gustias seu plagas & sanguinis guttas

OPUSCULUM I. 21

Deum fieri, & Deo qui verè est, po-
tiri. Solus ergo factus es (ut accepi-
mus) ab iis sensu divisus, qui sæculum
hoc amant; sed cum iis conjunctus,
qui veritatis sustinent defensionem.
Hinc te Martyrum chorus integrum
suscipere desiderat. Hinc Confessorum
cuneus manum porrigit ut in locum
suum recipiat.

Haud quaquam desciscamus ab hac
præclarâ choreâ, ô Venerande, neque
omnium spes confundamus, desidera-
tissime. Quanta pertulisti! adeò ut no-
men tuum passim ab his & illis audi-
tum sit. Nunc autem tanquam in mon-
tem virtutum per confessionem sub-
vectus, conspicuus mundo factus es,
& faciem geris Sole lucidiorem, cum
sermone vitam, ad gloriam Patris no-
stri qui in cælis est. In locum deductus
es sublimiorem, linguæ objectus ma-
ledicæ, quid non vellicanti? quid non
mentienti? dum te ab excelsis & divi-
no sensu flectere conatur. Sed audi-

22 *De S. Dionysii etate.*

» tione accepimus quantus & ipse sis
» gratiâ Dei, qui vitæ sermonem geras,
» sapientiæ fluctum ex ore promas, va-
» nis propositionibus congruentia oppo-
» nendo. Nos verò humiles illud dici-
» mus & testamur, selectos & olim &
» nunc hierarchicæ huic sedi præfuisse,
» qui dogmatum peritiâ totam de sacris
» imaginibus speculationem & doctri-
» nam descripserunt & tradiderunt. Etsi
» apostolicis verbis dicendum est: Ubi
» abundavit peccatum, superabundavit
» & gratia. Hinc enim progressa tan-
» quam ex portis inferi hæresis Icono-
» machica, hîc quoque repressa est: quin
» reprimetur etiamnum magis Spiritus
» sancti afflatu, quando increpabit Chri-
» stus perversum hoc reverâ mare, in
» quo multa circa fidem naufragia, non
» tam mentis perversitate, quàm impe-
» rantium formidine. Attamen emerse-
» runt multi è procellâ, Spiritus sancti
» clavo nixi: & multa martyria, & pie-
» tatis scripta monumenta univèrsam er-

Rom. 5.
20.

rorem expellentia, & veritatis pulchri-
tudinem omnibus fidelibus mentibus
demonstrantia. Quibuscum fervetur &
Reverentia tua, bonum certans certa-
men, cursum consummans, ut justitiæ
coronam accipias. Ità sit.

Pro verbis illis ante medium epi-
stolæ [*& certamen duxit Jehu*] legitur
in Græco [*ὁ ἀγων ἦγε τὸν ἰού*] li-
benter legerim τὸν ἰού, ut habent quæ-
dam Bibliorum Græcæ editiones, po-
tius quàm ἰού, ut legitur in Bibliis
regiis, aut ἰού, ut præfert Theodori
ms. exemplar in schedis Sirmondi. Fa-
vet enim *Jehu* in vulgatâ Latinâ expres-
sum. Est autem sensus; ὁ ἀγων, id est,
multitudo Israëliitarum (nam ex Eu-
stathio aliisque colligitur, τὸ ἀγωνία di-
ci etiam τὸ πλῆθος) duxit, hoc est,
hostibus opposuit τὸν ἰού. Ubi reddit
Theodorus sensum vulgatæ editionis,
4. Regum, cap. 9. v. 13. *Festinauerunt
itaque, & unusquisque tollens pallium
suum, posuerunt sub pedibus ejus in simi-*

24 De S. Dionysii etate.

litudinem tribunalis, & cecinerunt tubâ,
atque dixerunt, Regnavit Jehu.

De voce & de officio Syncelli, sci-
tè Jacobus Goar in præfatione ad
Georgii Syncelli Chronologiam, reje-
ctis nonnullorum conjecturis: *Verius*
itaque, inquit, à cellâ & sacrario, ὑπὸ
τῆ κελλίου Σύγκελλος dictus habeatur,
qui intimioris Patriarchici sacrarii Con-
cellaneus, celle particeps, secretorum con-
sciens, testis ac comes assiduus, arcanorum
non ambiguus interpret, negotiorum at-
que studiorum socius, animæ rector, &
(si velis) conscientia arbiter & πύθυρα-
πύρος. Antiqua hæc erga Patriarcham
Syncelli officia. Quia tamen lego apud
Suidam: ὅτι εἰς τὴν μέγαν Διονύσιον ἔγρα-
ψεν ἐπὶ κώμιον Μιχαὴλ Σύγκελος Ἱεροσολύ-
μων: Quoniam in magnum Dionysium
scripsit encomium Michael Syngelus Hiero-
solymorum; inclino ut existimem cum
Junio Σύγκελος vocem ex Συγάγκελος
derivatam esse & contractam; quam
cum Leonardo Philara volens inter-

OPUSCULUM I. 25

pretor *laterum Patriarchæ stipatorem*,
ac velut Angelum fidissimum, & labo-
rum comitem ad negotia quævis obeunda
paratissimum. Neque idcirco putari ve-
 lim rejectam à me inter menda Syncelli
 appellationem; cum eisdem Patriar-
 charum primarios ministros, & quasi
 assessores, à probis & antiquis Scripto-
 ribus nunc Syncellos, nunc Syngelos
 nuncupatos legam. Et concedo libens
 in eorum sententiam qui hanc vocem
 negant esse puri & prisca Græci sermo-
 nis, sed vulgaris & mediolorum sæculo-
 rum Linguae Græcæ à veteri primige-
 niâ plurimum aberrantis.

Theodori Studitæ hanc epistolam
 accepit Michaël Ecclesiæ Hierosoly-
 mitanæ Syncellus jam captivus circa
 annum Christi 812. sub Leone Arme-
 no. Quamdiu exinde fuerit superstes,
 non liquet. Hoc tantum de illo habet
 Joannes Curopalates in Theophilo,
 qui imperavit ex anno 829. in 841. per
 annos duodecim, menses tres, & dies

26 *De S. Dionysii etate.*

viginti. Ad hæc, beatum quoque Michaëlem, Syncellum Ecclesie, quæ est in sanctâ civitate, multis cum aliis Monachis in carcerem conjecit, (nempe Theophilus) diuturnis cruciatibus eos adducere sperans. Hic tantus vir, qui sancti Dionysii Areopagitæ elogium composuit, quæcunque illum spectabant, accuratissimè perscrutatus, Parisiensem ejus apostolatam, & martyrium Parisiense asseruit, unde & exclamavit: *Quàm verè beata Parisina civitas! quæ magnitudine quidem Gallie civitatibus cedit: dum verò te (ô Doctorum præstantissime) thesaurum omnibus mundi divitiis pretiosorem, in hereditatem accepit, patronumque & excubatorem acquisivit, splendidior cunctis & beatior appellata est.* Commune hoc fuit Michaëli Syncello cum Methodio, Anastasio Bibliothecario, & Hincmaro Remensi; immò & cum omnibus Græcorum, Gallorum, Romanorum, adeoque orbis totius Christiani Ecclesiis, uti propriâ Dissertatio-

OPUSCULUM I. 27

ne à nobis demonstratum est : hoc proprium Syngelo , quòd sancti Dionysii ætatem sic dimetitur , ut ex ea omnem ejus rerum gestarum seriem nosse cuique liceat.

In suo S. Dionysii Encomio , post medium : *Ad septuagesimum* , inquit , *annum per mille opprobria duplum Pauli cursum peregit. & iterum : Septuaginta annis apostolicum cursum percurrit. & denique : Beatum ejus agonem in postremis Trajani regni diebus fuisse accepimus.* Aperta est Syngeli sententia : nam , ut asserit Chrysostronus homiliâ de Principibus Apostolorum , cursus evangelicorum laborum S. Pauli fuit annorum xxxv. quorum duplum sunt septuaginta. Non rectè igitur Baronius septuaginta hos Dionysii annos de universa ejus ætate interpretatus est.

Ex his principiis ad universam Dionysii ætatem quasi manu deducimur. Nam anno æræ Dionysianæ 29. qui fuit ætatis Christi Domini quartus & tri-

gesimus à tribus mensibus fluens, duobus Geminis Consulibus vidit Dionysius in morte Christi prodigiosam Solis defectionem præter naturæ leges in plenilunio Paschali commissam. Annum hunc mortis Christi probarunt viri docti, Antonius Capellus, Keplerus, & denique Henschenius tom. I. Sanctorum Aprilis, in diatribâ præliminari, exercitatione I. ex antiquis primæ notæ Scriptoribus, Tertulliano, Severo Sulpicio, Augustino, Phlegonte, Prospero, Idatio, Victorio, Cassiodoro, Cedreno, & aliis. Hoc porrò anno æræ vulgaris 29. erat Dionysius annorum xxv. ut ipse testatur in epistolâ ad Apollophanem, & asserit Maximus in Scholiis epistolæ ejus decimæ, quæ est ad Apostolum Joannem.

Nunc annum inquiremus, quo Dionysius, Paulo Athenis prædicante, ad Christum est conversus. Paulus Orosius libro 7. historiarum cap. 6. *Anno*

OPUSCULUM I. 29

ejusdem (Claudii scilicet Imperatoris)
nono expulsos per Claudium Urbe Iudeos
Josephus refert. Annus Claudii nonus
 est æræ vulgaris 49. Sequenti anno
 Christi 50. Claudii decimo conversum
 ad Pauli prædicationem Dionysium
 Areopagitam rectè statuit Petavius:
 nam ex Actorum capite 17. & 18. hac
 prædâ potitus Paulus, *egressus ab Athe-*
nis venit Corinthum, & inveniens quem-
dam Iudeum, nomine Aquilam, Ponti-
cum genere, qui nuper venerat ab Italiâ,
& Priscillam uxorem ejus, (eò quòd præ-
cepisset Claudius discedere omnes Iudeos
à Româ) accessit ad eos. Sequenti igi-
 tur anno, Claudii decimo, Christi
 quinquagesimo nomen Christo dedit
 Dionysius: statimque Paulus Corin-
 thum veniens, ibi Aquilam reperit
 cum Priscillâ conjuge, recenti Claudii
 edicto Româ extorres.

Hinc porrò numeremus annos se-
 ptuaginta, confient anni centum vi-
 ginti. Passus ergo est S. Dionysius an-

30 *De S. Dionysii aetate.*

no aerae vulgaris 120. aetatis suae 116. quia hujus aerae anno 29. aetatis erat annorum dumtaxat quinque & viginti. Anno autem ejusdem aerae 120. tertium jam annum imperabat post Trajanum Hadrianus, nempe ex die mensis Augusti xxix. anni 117. Statuendum igitur ex praemissis passum esse Dionysium sub Hadriano, non autem sub Trajano, ut scribit Suidas cum Michaële Syngele; nisi apud hos auctores venit pro Trajano Hadrianus, quem Trajanum Hadrianum dictum constat ex nummis & inscriptionibus antiquis. Martyrologium quod Romanum vetus putavit Rosvveydus, quodque Ado suo ipsius Martyrologio praefixit: v. *Nonas Octobris, Athenis Dionysii Areopagita, sub Adriano diversis tormentis passi.* Explicui in Dissertatione mea de uno Dionysio, Athenis memoriam recoli Dionysii v. Nonas Octobris ordinati Atheniensium Episcopi, qui deinde Parisiis martyrium fecerit imperante Hadria-

OPUSCULUM I. 31

no, VII. Idus Octobris. Non dubium tamen quin multa passus sit S. Dionysius sub Domitiano : unde est quòd Græci plerique cum Methodio & Menæis martyrium ejus referant ad Imperium Domitiani : sed congressus ejus cum Joanne Apostolo post Domitiani interitum, & Michaëlis Syncelli assertio de septuaginta annorum apostolicis ejus laboribus ad Pauli labores duplis, cogit nos consummatum illum credere, ut diximus, jam imperante Hadriano.

Sic definitâ Dionysii ætate, nunc ejus transitum in Gallias tempori suo reddamus. Ne nihil non moveant adversùs Parisiensem Areopagitam duorum Dionysiorum assertores, negotium faceffunt de missione S. Dionysii in Gallias per Clementem Papam, & de primis aliquot post beatum Petrum Romanis Pontificibus. Communis est Annalium ecclesiasticorum hæc difficultas, etiam iis qui de Dionysio nihil

cogitant. Si quæstionis hujus fibras omnes excutere aggrediar, justis operis argumentum erit. Quæ nostri sunt instituti, paucis exequor. Primum, illis non assentior qui Linum & Cletum à summo Pontificatu excludunt. De Clemente Bellarminum magnum Doctorem confulo. Is in libro 2. de Romano Pontifice cap. 5. De Petri successore, *Respondeo* (inquit) *posse rem totam ita componi & explicari. Apostolus Petrus passione sua imminente, beato Clementi sedem episcopalem reliquit. Id testantur gravissimi auctores, Tertullianus de præscriptionibus, Hieronymus lib. 1. in Iovinianum, & in caput 52. Isaiæ, Rufinus præfatione Recognitionum, & Invektivâ in Hieronymum, Ioannes III. Papa in epistolâ ad Episcopos Germania: & præterea Clemens ipse lib. 7. Constit. Apostol. cap. 37. Anacletus epistolâ 1. Alexander epist. 1. & Damasus in Vitâ Petri. Ceterum Petro mortuo Clemens in sede apostolicâ sedere noluit, donec*

OPUSCULUM I. 33

donec vixerunt Linus & Cletus, qui ipsius beati Petri adiutores in episcopali officio fuerant. Quocirca primus à Petro Pontifex, non Clemens, sed Linus fuit. Id ita esse colligimus, primum ex Epiphanio, heresi 27. qui ex sententiâ veterum tradit, à Clemente sedem recusatam, dum viverent Linus & Cletus. Deinde, ex hac ipsa ambiguitate. Si enim absque ullâ contentione successisset Petro Clemens, aut Linus, aut quicumque alius, nulla certè quæstio de primo successore Petri extitisset, quemadmodum de primo successore Jacobi Hierosolymitani, & Marci Alexandria, & ipsius Petri Antiochia nulla unquam fuit quæstio.

Quia verò in Romanâ Ecclesiâ, post Petri obitum sancta contentio ex humilitate nata est, & unus fuit, & alter esse debuit primus successor Petri, inde nonnulla obscuritas in hanc successionem invec̄ta est. Atque ex his conciliari possunt auctores qui aut Clementem Lino, aut

C

34 De S. Dionysii etate.

Linum Clementi anteposunt. Siquidem Irenæus, Eusebius, Epiphanius, Optatus, Augustinus, Hieronymus, dum asserunt Petro Linum proximè successisse, verum asserunt; sed non negant id factum esse, quia Clemens episcopatum illum recusaverat. Porro Tertullianus, Hieronymus, Ruffinus, & cæteri qui Clementem à Petro successorem relictum esse scribunt, rem veram narrant; sed nec ipsi negant, Clementem eo tempore sedem accipere noluisse. Hæc Bellarminus. Ad Auctores porro ab eo citatos, qui Petro Clementem successisse dicunt, accedit Beda lib. 2. Hist. Anglorum, cap. 4. Marianus Scotus ad annum Neronis xiv. Hugo de S. Victore in mysticâ Arcæ Noë descriptione, & his omnibus antiquior Eucherius ad Valerianum: Clemens, inquit, vetustâ prosapiâ Senatorum, atque etiam ex stirpe Cesarum, omni scientiâ refertus, omniumque liberalium artium peritissimus, ad hanc justorum viam transit, itaque etiam in

OPUSCULUM I. 35

eâ excellentiâ effloruit, ut Principis quoque Apostolorum successor extiterit.

Franciscus Turrianus lib. 2. pro epistolis Pontificum adversus Magdeburgenses, cap. 10. *Clemens, inquit, electus & ordinatus est Episcopus Romanus ab ipso Petro, cum jam passio ejus instaret. Unde quia Cletus cum Lino & post Linum Petri in eodem Pontificatu administrando adjutor fuerat, quâ ratione Clemens successit Lino, eadem successit & Cleto. Lino verò successit, quia Episcopatum Romanum, quem Linus tanquam adjutor Petri, cum proprio Episcopo, id est, cum ipso Petro gubernabat, idem Clemens tanquam proprius ac principalis Episcopus suscepit. Simili ratione successit Cleto: nihil enim differunt nisi quod Linus vivente adhuc Petro mortuus est, Cletus verò non. Ex quo factum est ut Clementem alii secundum post Petrum, alii tertium, alii quartum numerent: sintque quodammodo omnia vera, si rationes succedendi distinguantur. Est enim*

C ij

Clemens, scilicet secundus post Petrum; ut principalis: tertius, ut successor Lini; quartus, ut successor Cleti, qui post mortem Lini fuit quoque Petri adjutor, cui successit ut principalis Clemens. Sic proficitur Turrianus fuisse quidem Petrum, Linum, Cletum, & Clementem omnes Episcopos Romanos: sed solum Petrum & Clementem summos Pontifices, sive Universalis Ecclesiae Papas; Linum porro & Cletum fuisse dumtaxat illorum adjuutores. Idipsum expressè docet Hugo Flaviniacensis in Chronico suo: nempe ex illâ Joannis tertii Papæ epistolâ ad Episcopos Galliae & Germaniae, quam Baronius & plerique alii eruditi confictam esse non uno argumento probant.

Hæc si dixerimus, expeditum habebimus nostrum Areopagitam, quem sub Petri & Pauli martyrium Clemens in Gallias destinavit. Sed amplectimur communiorem & faniolem sententiam, quæ Linum & Cletum

OPUSCULUM I. 37

summos Ecclesiæ Pontifices agnoscit, præsertim propter illa verba Canonis Missæ antiquissimi, *Lini, Cleti, Clementis*, & Damasi auctoritatem in libro de Romanis Pontificibus: potius verò citato Bellarmino adhæremus, asserimusque missum in Gallias Dionysium Arcopagitam, cum abdicato priore suo episcopatu Atheniensi Romam advenisset haud multò post passionem Apostolorum Petri & Pauli, quos ille (ut putabat) adhuc superstites, officii causâ visurus, eò se contulerat anno æræ vulgaris 65. vel 66. vigente nimirum sanctâ illâ contentione inter Clementem, quem summum Pontificem Petrus dixerat, & Linum, in quem Clemens id oneris ac dignitatis rejiciebat.

Hanc verò piam contentionem fati diu viguisse, ac eâ stante Clementem summi Pontificis auctoritate usum, suadent gravissimorum & vetustissimorum, quæ protulimus, Scriptorum

testimonia, primum à Petro Clementem Petri cathedram obtinuisse asserentium. Dum enim Clemens supremam illam ac solitariam Christi in terris Vicarii dignitatem in Linum derivare conaretur, famâ interim vulgante, à Petro ipso morti proximo dictum esse Clementem illi successorem, vix erat qui ex momento Petri in crucem sublatis non eum unicum Christi in terris Vicarium agnosceret, quàmlibet ille id fastigii à se averteret, & in Linum transferre moliretur. Romam ergo sub id tempus perveniens Dionysius Clementem ut Papam salutavit, atque ab eo missionem in Gallias accepit. Instabis: Non debebat Clemens suâ voluntate abdicatus pro Papâ se gerere. Fateor: Sed Lino Papatum à se amoliente, & in Clementem retorquente, vel hoc ipso stabat Clemens in suo jure; ita ut quod ipse Petri suffragio sibi vindicare nollet, Lini indulgentiâ & quasi delegatione

præ se ferre cogeretur. Sic ergo Dionysium in Gallias emisit, sive ut Papa constitutus à Petro, necdum planè abdicatus, sive ut à Lino post suam abdicationem delegatus, & quasi pro Papâ se gerere iussus. Frustrâ igitur quis objecerit haud legitimam fuisse Dionysii missionem illam, cùm sic & Clementis & Lini ipsius auctoritate niteretur.

Deinde si Polycarpo Smyrnenfi Irenæum in Gallias, Christi fidem propagaturum, emittere licuit, cur non potuerit Clemens tanquam Christi vel Apostolorum discipulus, Dionysium in Gallias prædicandi causâ Evangelii destinare? Nunc tandem quod ad ecclesiasticorum dogmatum fidem gravioris momenti est, suos Dionysio libros vindicare aggrediamur. Hi sunt vulgati, & in omnium manibus.

40 *De S. Dionysii ætate.*

De cælesti Hierarchiâ.	} Libri singuli Timotheo inscripti omnes.
De ecclesiasticâ Hierarchiâ	
De divinis Nominibus.	
De mysticâ Theologiâ.	

Epistolæ decem.

Ad Caium Monachum quatuor.

Ad Dorotheum Ministrum una.

Ad Sosipatrum Sacerdotem una.

Ad Polycarpum Antistitem una.

Ad Demophilum Monachum una.

Ad Titum Episcopum una.

Ad Joannem Apostolum & Evangelistam una.

Bipartitus est illorum cuneus, qui Dionysio Areopagitæ vulgò adscripta Opera ipsi abjudicarunt. Primi fuere hæretici, qui cum cernerent præcipua catholicæ fidei dogmata, à quibus illi aberrarunt, his Areopagitæ libris sic stabiliri, ut à veterum Patrum nemine alio firmiùs aut evidentiùs; eò maxime spectarunt ut populis persuaderent, illos esse recentioris cujuscumque viri creduli commentarios, ad conci-

OPUSCULUM I. 41

liandam eis fidem, falsò Areopagitæ titulo prænotatos, Tenebriones hos abundè confutarunt inter alios Martinus Debrio in Vindiciis Areopagiticis, Petrus Lanßelius in Disputatione Apologeticâ de S. Dionysio ejusque scriptis, & Petrus Halloix de vitâ & Operibus S. Dionysii, quæstione secundâ. Sic autem illorum insultus retulerunt, ut supervacaneum putem actum agere.

Classis altera est orthodoxorum, inter quos famam tulit Joannes Morinus, qui citatis Areopagiticis superstes fuit, & quasi post acceptam cladem reparatis copiis pugnam redintegravit. Hic parte secundâ de sacris ordinationibus, primis sex capitibus; *Certissimum est, inquit, istius viri, quicumque ille sit, Opera per hæreticos orbi Christiano primùm innotuisse: hæreticos his usos, ut hæresim suam defenderent. Ideò, ut illis certior & augustior accederet auctoritas, auctori nomen Areopagitæ*

42 De S. Dionysii aetate.

primos indidisse. Catholicos autem eorum
 Operum antea insolentes & ignaros ea
 tum repudiasse, causatos personam factum-
 que supposita esse. Tum numero XI. sub-
 dit: Paulatim tamen Catholici librorum
 istorum lectioni diligentius incumbentes,
 eorum soliditatem in fide, sensumque
 absolute catholicum admirati, tandem
 eos amplexi sunt, & lati, Areopagite
 nomen auctori continuarunt. Et post pau-
 cos versus: Hunc è manibus heretico-
 rum excussum sibi vendicarunt, & ex
 iis varia testimonia in fidei catholica con-
 firmationem, velut ex armamentario in-
 structissimo deprompserunt, ut saepe fecit
 Martinus I. Papa, & ante eum Sophro-
 nius Patriarcha Hierosolymitanus, ut
 ipse ibidem testatur, & post eum saepius
 Concilium sextum generale. Primus Dio-
 nysium cum elogio citasse legitur S. Gre-
 gorius Papa homiliâ XXXIV. in Evange-
 lia: Fertur verò Dionysius Areopagita,
 antiquus videlicet & venerabilis Pater,
 &c. In hac certè homiliâ quæ refert

OPUSCULUM I. 43

S. Gregorius de novem ordinibus Angelorum, deque illorum officiis ad Ecclesiæ totius administrationem, non omnia hausisse potuit ex Pauli Apostoli Epistolis, aliisve alterutrius Testamenti locis: nec dubium quin ea ex Dionysii cælesti Hierarchiâ deprompserit; qui nimirum Pauli magistri sui, in tertium cælum & in paradisum rapti, secretorum conscius, (ut observat Michaël Syngelus) angelica ista vel ex ejus ore exceperit, vel etiam ipse Deo revelante cognoverit, quæ apud scholasticos æquè ac mysticos tantâ in veneratione sunt.

Age igitur, arcem ipsam difficultatis invadamus. Vulgatorum Dionysii Areopagitæ nomine scriptorum quicumque est auctor, is epistolâ septimâ quæ est ad Polycarpum, asserit, se dum esset juxta Heliopolim, observasse cum Apollophane mirabile illud Solis deliquium, quod præter naturæ leges Christo de cruce pendente evenit.

Se Pauli Apostoli & Hierothei discipulum profiteretur, non uno loco, præsertim verò cap. 2. & 3. de divinis Nominibus. Eodem capite 3. Timotheo narrat se beatissimæ Dei parentis Virginis exequiis interfuisse cum Jacobo fratre Domini, & Petro Theologorum antiquissimâ summitate, & eximio præceptore suo Hierotheo, qui cæteris omnibus sacris laudatoribus antecellebat, totus excedens, totus se deferens, rerumque quas laudabat, consortium patiens, & ab omnibus à quibus audiebatur ac videbatur, tam notis quàm ignotis, divino numine afflatus, divinusque planè laudator censebatur. Epistolâ x. ad Joannem Apostolum, monet se Deo revelante agnovisse, brevè illum è Pathmos insulæ ergastulo solvendum, & in Asiam rediturum, ubi mutuis adhuc frui possent alloquiis.

De Hierotheo tamen sic agit Morinus ut de homine fabuloso; unde

OPUSCULUM I. 45.

& in ejus laudatorem Dionysium ita insultat: *Quis præterea est iste apud eum solum, tam famosus Hierotheus ipsius præceptor, cujus longè sæpius meminit, & multò evidentius, quàm sancti Pauli? Qui tam multos & admirabiles Theologie libros composuit; quos sanctus Thimotheus non capiebat, ipse Dionysius vix caperet: de quo tamen, & ejus libris apud Auctores ecclesiasticos nulla mentio, nulla umbra, nulla suspicio. Dionysii Opera post annos à nato Christo quingentos publicantibus hæreticis Eutybianis orbi Christiano primùm innotuerunt. At præclara ista Hierothei Opera hætenus in tenebris delitescunt: nomen ipsum hætenus incognitum, solâ Dionysii narratione notum. Nulli Catholici, nulli hæretici illius unquam meminereunt. Stylus tamen magistri, stylo discipuli simillimus, ut ex pauculis, quæ ab eo refert Dionysius, evidenter colligitur: ovum ovo, lac lacti vix similius; ita ut videantur in eodem ludo instituti. His dictis Morinus velut*

46 De S. Dionysii etate.

arma abiciens sic concludit : *Quum igitur tanta tamque perplexæ sint difficultates in asserendâ huic Auctori summâ antiquitate christianâ, rem in medio relinquamus. Unusquisque per nos de hac questione, ut libuerit, opinetur. At ego sic hominem aggredior : Fateris, Morine, istum, quicumque est, qui magistri sui Hierothei meminit, qui in morte Christi Salvatoris, Solis eclipsim prodigiosam à se observatam affirmat, virum fuisse solidæ fidei, & sensûs absolutè catholici ; Martino I. Papæ, Sophronio Patriarchæ Hierosolymitano, Concilio sexto generali, & Gregorio Magno Papæ in primis probatum. Addo ego : Si non ipse est Areopagita, mendax est, impostor est, superbus est, hypocrita est, & sacrilegæ simulationis reus, adeoque probis omnibus execrandus. Quis talem ac tantum virum (ait vir doctissimus Leonardus Lessius datâ ad Lansselium e-nistolâ) credat tam putidè voluisse men-*

OPUSCULUM I. 47

viri, & tam absurdâ hypocrisi, false quadam specie antiquitatis, & apostolica consuetudinis mundo imposturam facere? Non cadunt ista in virum probum, & sanæ mentis; multò minùs in sapientissimum & sanctissimum.

Mirum est autem, fictitium hominem putari à Morino Hierotheum, quem memorant coluntque Græci, Romani, Hispani ad quartam diem Octobris. Vitam ejus scripsit Petrus Halloix in primi sæculi Patribus; multa de eo Martyrologium Hispanicum Tamayi Salazar, & Bivarius in Chronicon Dextri: apud quos plurima reperies de ejus natali solo, episcopatu Segobiensi, rebus gestis, & sacris reliquiis. Quod tamen ibi leges, fuisse illum Episcopum Athenis ante Dionysium Areopagitam, qui eo magistro gloriatur, sic intellige; fuisse illum Athenis creatum Episcopum, non titulo, sed caractere; qua ratione complures Presbyteros primis Ecclesiæ sæculis

fuisse ordine & caractere , non titulo Episcopus , ex Hieronymo & ex Paulo ipso Apostolo alibi docuimus. Ut sit fides beato Michaëli Syngelo Hierosolymitano , qui in elogio S. Dionysii , illum asserit à Paulo Apostolo primum Atheniensibus fuisse Episcopum consecratum. Quæ porrò Hierothei scripta , nec Timotheum , nec se ipsum satis capere affirmat Dionysius , ne dubita quin ea fuerint de mysticæ Theologiæ arcanis , quæ Hierotheus *patiens divina* , ex propriâ experienciâ contexuerit. Quæ quàm sublimia fuerint , & supra multorum etiam Theologorum captum , intelliges ex hujus argumenti tractatibus à Blosio , à Joanne de Cruce , & à sanctâ Virgine Teresiâ conscriptis ; ut de cæteris taceam.

Sufficere posset ad vindicandos Areopagitæ libros suos unum hoc argumentum , cujus vim nemo adversariorum unquam eludet : alterum haud impru-

OPUSCULUM I. 49

imprudenter attigit Petrus Halloix in suo Dionysio, quæstione 2. argumento quinto. *Non est, inquit, divini moris, nec æternæ illius providentiæ, opera vana & fictis mendaciis plena, veris ornare & cohonestare miraculis. Areopagite opera, cum variis infirmitatibus in tanti viri honorem applicarentur, multis divinitus honestata sunt miraculis, ut capite xxx. Vite attigi. Quare, signum est satis evidens & luculentum, ejus esse illa opera, cujus in honorem ea patrata sunt.* Scio reponi posse, mirabiles ejusmodi eventus; fidei potius precantium tribui solere quàm sacrorum pignorum veritati. Aliam admoveo machinam, magnorum virorum auctoritatem, qui Dionysii, de quibus agimus libros, quin legitimi essent Areopagitæ partus, minimè dubitarunt.

Ex hoc testium innumerabili cœtu duos omnium instar in rem nostram voco, Thomam Aquinatem, & Franciscum Suarezium. Ille verè Angeli-

D

50 De S. Dionysii ætate.

cus Doctor Summam suam Theologicam, aliâque opera sua scholastica magnam partem ex Dionysii libris contexit, ut uno ferè oculi motu intueris in serie locorum quæ ex iis S. Thomas citavit, quam proponit Balthazar Corderius in Prolegomenis tomi prioris ejus operum, observatione generali duodecimâ, quam sic orditur: *Juvabit etiam non parùm ad pleniorẽ S. Dionysii intelligentiam, scire loca quæ D. Thomas ex ipso citat, ut sicut Doctor Angelicus ex illo Sole magnum Sapientie lumen accepit, ita vicissim luminis ejusdem radios ad captum nostrum aptè distributos, hierarchico ritu ad nos transfundat.* Sic verò concludit, post accuratam non tantùm librorum, sed etiam capitum singulorum recensio- nem, ex quibus hausit magnus Doctor: *Ex his, aliisque locis quæ me effugerunt, facile patet, Angelicum Doctorem totam ferè doctrinam Theologicam ex purissimis Dionysii fontibus hausisse; cum vix ulla*

OPUSCULUM I. 51

*fit periodus, è quâ non ipse tanquam
apis argumentosa Theologicum succum
extraxerit, & in Summam, veluti
quoddam alveare, pluribus quæstionibus
articulisque seu cellulis, Theologico melle
servando distinctum redegerit.*

Porro Suarez, de quo dubitatum
doctiorne esset, an sanctior; de quo
sæpè quæsitum an ævi nostri dicendus
habendusque esset Thomas Aquinas,
an verò Augustinus: ille in præfatio-
ne tomi sui de Angelis, cavendos ad-
monet qui Dionysio Areopagitæ libros
suos abrogare contendunt. Hic ego
quæsierim ex Hypercriticis nostris,
satisne prudenter in his summis viris
discernendæ librorum ætatis pruden-
tiam desiderent, atque an modestè sa-
tis eos imperitiæ notare audeant. Nunc
Morini quædam objecta diluamus.

I. *Certissimum est, inquit, istius viri,
quicumque ille sit, Opera per hæreticos or-
bi Christiano primùm innotuisse. Hoc
verò nos falsissimum esse contendi-*

mus : nota enim fuerunt nonnullis ab ipso Dionysii auctoris ævo ; quamvis primis Ecclesiæ sæculis in vulgi usus emissa non fuerint , ipsius videlicet auctoris cautione ; quam aperuit cap. i. de Ecclesiasticâ Hierarchiâ , capite i. de divinis nominibus , & capite i. de mysticâ Theologiâ. Hujus consilii ratio fuit , quia cùm priscis illis temporibus laborandum esset in propagandâ fide , ac stabiliendis mysteriis ad salutem necessariis ; putà de Dei unitate in essentiâ , & Trinitate in personis ; de Christi Incarnatione , Passione , Resurrectione , & Ascensione , de præceptis caritatis erga Deum & proximum , de petendis in oratione Dominicâ ; (ex quibus ferè constat illud quod pueris & rudibus tradi solet doctrinæ christianæ compendium) non erant oneranda neophytorum ingenia tot illis arcanis , quæ libris Dionysianis continentur. Et hoc ipsum videntur spectasse Origenes , Eusebius , Hieronimus ;

OPUSCULUM I. 53

ronymus, aliique primorum quatuor
 Ecclesiæ sæculorum Patres, ut consul-
 to ab iis memorandis abstinere quæ
 ad vulgi usum nollent traduci. Hinc
 raritas exemplarium: quam etiam au-
 xisse creditur externorum Philosopho-
 rum, Platonis, Philonis, aliorumque
 mundi sapientum invidia, qui Diony-
 sianis sententiis velut propriis passim
 usi, fontes ipsos unde hauserant, obli-
 mare atque extinguere studuerunt.
 Alioqui dubium non est, quin Diony-
 sii opera norit Chrysofostomus, qui
 eum *πετηνὸν τῆς οὐρανῆς*, hoc est, volu-
 crem cæli appellavit, teste Anastasio
 in Epistolâ ad Carolum Calvum: &
 plurimæ exstant sententiæ Gregorii
 Nazianzeni, Clementis Alexandrini,
 aliorumque Patrum, qui primis qua-
 tuor à Christo sæculis floruerunt, quas
 ad gustum Dionysii Areopagitæ descri-
 ptas esse prudentissimus quisque agno-
 scit. Has collegere plurimas Marti-
 nus Delrio in Areopagiticis, & Petrus

54 *De S. Dionysii etate.*

Halloix in suo Dionysio : quibus addas per me licet Joannem Pearson Presbyterum Anglum in Vindiciis Epistolarum S. Ignatii , adversus Joannem Dallæum, parte 1. cap. 10. ubi vulgatorum Dionysii Operum auctorem, quarto post Christum sæculo, & postremis Eusebii Cæsariensis temporibus scripsisse contendit, alioqui probrosâ pseudo-Dionysii appellatione abusus.

2. Sed instat Morinus capite illo primo, numero VII. Antiquissimum, ait, monumentum ecclesiasticum in quo Dionysii Areopagitæ, & Operum ejus diferta fit mentio, habetur tomo 2. Conciliorum, in collatione Constantinopoli in Justiniani Imperatoris palatio facta anno 532. inter catholicos & hæreticos Severianos, sive Acephalos. Utrosque Constantinopolim accersiverat Imperator, ut collatione habitâ experiretur, an mutua concordia inter eos conciliari posset. Episcopi quinque catholici aderant cum

OPUSCULUM I. 55

Presbyteris septem : Acephali verò
Episcopi sex, quos nonnulli Presby-
teri & Monachi comitabantur. In
collatione secundæ diei sic Catholici
objicientibus hæreticis respondent :
*Quod autem prius dici debuit, hoc in
ultimo dicimus. Illa enim testimonia
quæ vos Dionysii Areopagitæ dicitis,
unde potestis ostendere vera esse sicut suspi-
camini ? Si enim ejus erant, non potuis-
sent latere beatum Cyrillum. Quid au-
tem de beato Cyrillo dico ? quando &
beatus Athanasius, si pro certo scisset ejus
fuisse, ante omnia in Nicæno Concilio,
de consubstantiali Trinitate eadem testi-
monia protulisset adversus Arrii diversæ
substantiæ blasphemias. Si autem nullus
ex antiquis eorum meminit, unde nunc
potestis ostendere quia illius sint, nescio.*
Ad hæc refero ; quid mirum si ignoti
fuerunt libri Dionysii Areopagitæ
quinque illis Episcopis & septem Pre-
sbyteris in Justiniani palatium evocatis
anno 532. cùm illi ob causas quas di-

ximus, vix ullis in Bibliothecis expositi essent? Athanasio autem & Cyrillo satis fuit, Arrianos aliosque sui temporis hæreticos ex Scripturis sacris confutare; præsertim cum illo adhuc tempore Opera Dionysii nondum publico satis probata essent.

3. Urget Morinus: Citat passim Dionysius omnes Joannis Evangelistæ libros, adeoque Apocalypsim, quam constat receptam non fuisse inter Scripturas canonicas ante Concilium Laodicenum, nec ante Gregorium Nazianzenum, nec ante Amphilochem, aut ab aliis Græcis, ut testatur Hieronymus in epistolâ 129. ad Dardanum. Esto: quid mirum si Dionysio Joannis Apostoli æqualis sui, & amicitiam sibi conjunctissimi Opera nota fuere, & probata, quæ deinde pedetentim vulgo innotuere?

4. Pergit Morinus: Ante Concilium Nicænum *ovótav* ab hypostasi non distinxerunt Patres. Respondeo: His ocu-

OPUSCULUM I. 57

latior Dionysius distinguendam cognovit tertio ante Nicænam Synodum sæculo.

5. Millenariorum sententiam improbat Dionysius Hierarchiæ Ecclesiasticæ capite 7. hujus auctorem perstringens Papiam Episcopum Hierapolitanum. (ut censet hunc locum exponens Maximus) Testatur autem Papias apud Eusebium lib. 3. Ecclesiasticæ historiæ, capite ultimo, neminem Apostolorum se unquam vidisse. Fortasse autem vidit Papias Dionysium Areopagitam qui omnibus Apostolis superstes fuit. Utut sit, Papiæ non meminit Dionysius, sed tantum erroris Millenariorum, cujus origo non à Papiâ, sed ab ipso Apocalypsis capite vigesimo malè intellecto, & secundum litteræ corticem; non, ut oportuit, secundum verum & mysticum sensum accepto repetenda est.

6. Capite ultimo libri de Hierarchiâ Ecclesiasticâ, dicit auctor se tenere de

58 *De S. Dionysii etate.*

baptismo infantium quod divini, inquit, nostri Pontifices ab antiquâ traditione mysticè edocti ad nos usque produxerunt. Non conveniunt hæc verba (ut putat Morinus) Apostolicorum temporum viro. Conveniunt porrò, ut opinor, maximè, & præsertim Dionysio macrobio; qui, ut ostendimus, septuaginta annos in laboribus Apostolicis exegit. Quis verò nescit, longum & breve, antiquum & recens, novum & vetus comparatè dici; idèmq; esse uni vetus, quod alteri novum? Antiquus erat Dionysius comparatè ad sequentium sæculorum viros; Dionysio tamen antiqua erat traditio quæ ab Apostolis manaverat, aut ab aliis Christi discipulis qui Christo convixerant, & qui plerique, ac fortasse omnes, tum cum hæc ille scriberet, è vivis erepti ad superos evolarant.

7. Quæ de Monachis scripsit Dionysius, frustra contendit Morinus primo Ecclesiæ sæculo non convenire,

ut intelliges ex Balthazare Corderio,
& ex auctoribus ab eo citatis annota-
tione in caput sextum de Hierarchiâ
Ecclesiasticâ.

8. Restat difficultas, quam sic pro-
ponit Morinus parte illâ secundâ de
ordinationibus, cap. 5, num. 1. *Refert*
Dionysius capite 4. de divinis nomini-
bus, testimonium ex epistolâ S. Ignatii
ad Romanos, cùm ad martyrium ducere-
tur, scribentis. At librum de divinis no-
minibus dedicat Dionysius S. Timotheo
Epheſiorum Episcopo. Vivebat igitur Ti-
motheus post Ignatii epistolam ad Roma-
nos missam. Verùm ex eodem Ignatio
scribente ad Philadelphios constat Timo-
theum, cùm Ignatius ad Romanos scri-
beret, defunctum fuisse. Constat præter-
ea ex epistolâ ejusdem Ignatii ad Ephe-
sios, Onesimum Timotheo successisse. Ita-
que scribit Dionysius Timotheo, longo
tempore post Timothei mortem.

Ad hanc objectionem responderet S.
Maximus, hoc testimonium à Diony.

sio non esse allegatum ; sed cum ab aliquo minus perito ad marginem adnotatum fuisset , postea in textum à margine irrepisse. Id ipsum affirmat Petrus Halloix quæstione 2. & 3. de Operibus S. Dionysii. Ubi etiam multis refellit & Dextrum , & Bivarium , qui Timotheum , ad quem scribit Dionysius , Marcellum interpretati sunt. Censuit Cardinalis Baronius Timotheum illum non esse Ephesiorum notissimum Episcopum , sed alium quempiam ejusdem nominis. Urget autem Morinus , Timotheum illum , quamvis Episcopum , sæpe à Dionysio *filium* nuncupari : quod certè , inquit , *absurdum est , & ab usu ecclesiastico , & à rectâ ratione maximè alienum.*

Quicquid autem sit de illo Ignatii loco , *amor meus crucifixus est* , sive sit Dionysii ipsius , sive à glossatore in ejus textum insertus , aliam in eo viam , quâ his difficultatibus me expediam , quam & sequitur & multis probat

OPUSCULUM I. 61

Petrus Halloix. Experimur nos qui scribendis libris incumbimus, subinde illos à nobis retractari, & iis interpolari adjectionibus quæ illi tempori non conveniunt quo primùm eos scribere aggressi sumus. Quod cùm etiam junioribus certum sit contingere, quantò magis in Dionysio admittendum est, quem ex Michaële Syngelo supra ostendimus, annos admodum septuaginta quæ scribendis ad bonum publicum libris, quæ excursionibus in diversas provincias, aliisque Apostolicis laboribus exegisse. Fuisse autem Timotheum timidioris ingenii, & ætate juniorem Dionysio, eoque *νατὰ τὸ πρότερον* *filium*, ab eo subinde appellatum, scitè admonet Petrus Halloix, præsertim quæstione illâ tertiâ de vitâ & Operibus S. Dionysii, s. *Secundum argumentum*, ubi hæc habet: *Iam autem Timotheus respectu Dionysii erat admodum juvenis, quippe qui Neronis tempore vocetur adolescens, & ad quem*

62 De S. Dionysii ætate.

scribens Paulus dicat : Nemo adolescentiam tuam contemnat. tùm autem Dionysius duplam circiter illius ætatem exegerat. Valet porrò hæc observatio, etiam ad id quod opponit Morinus citare Dionysium nonnulla ex Apocalypsi, & ex Evangelio Joannis, & alia quædam proferre, vivente adhuc Timotheo nondum scripta, aut nondum promulgata. Hæc nimirum post mortem Timothei scriptis suis illigavit Dionysius, multis annis ei superstes, cùm Opera sua subinde recognosceret.

